

vel adherentes, que in presenti guerra per aliquam ipsarum partium, subditis vel adherentes ipsarum capta vel capte, occupata vel occupatae tenerentur, relaxentur et expediantur per partem occupantem seu tenentem in eo statu, in quo hodie sunt, exceptis munitionibus mobilibus, quas ipse partes vel aliqua ipsarum possissent in dictis locis vel aliquo ipsorum, quas libere exportari facere possit. Taliter quod illa pars, vel persone, que dicta loca, castra, vel terras tenebant tempore dictae inchoate guerre, ipsa possit intrare, tenere et munire, sic et taliter quod dicta loca, que ante presentem guerram per commune et dominationem Venetiarum, seu eorum nominibus tenebantur sine aliquo impedimento ad manus, et potestatem dicti communis Venetiarum poterunt devenire et pervenient, si ipsa capere volent, salvo jure compromissi subterscripti. Et consimiliter loca, que ante presentem guerram per dominum Patriarcham et Ecclesiam Aquilegensem, seu eorum nominibus tenebantur sine aliquo impedimento ad manus et potestatem dictae Ecclesie poterunt devenire et provenient si ipsa capere volent et ipsa tenere possint, prout tenebant et tenere poterant ante presentem guerram in omni et tali jure possessionis et dominii, quibus ante presentem guerram tenebantur. Ita quod per dictam occupationem vel relaxationem vel expeditionem ipsarum terrarum, vel alicujus earum nullum jus de novo intelligatur acquisitum, auctum vel diminutum alicui ipsarum partium, nisi prout habebant ante presentem guerram. Exceptis a predictis omnibus et singulis civitate Tergesti, castris de Mocho et Mochulanis, territoriis, et districtibus, villis et pertinenciis ipsius et ipsorum et cuiuslibet eorum, cum omnibus fortificiis et locis, que intra eorum continentur confines et districtus. Quam civitatem, communitates et loca predicti sindici, actores et procuratores prefati domini ducis et communis Veneciarium nomiae antedicto liberant perpetuo ab omni jure possessionis et dominii, quam seu quod in dictis locis vel aliquo eorum haberent et ab omni vinculo cuiusunque homagii, fidelitatis, jurisdictionis, et obligationis alterius